

et a Sede Apostolica confirmanda fuisset. Nec, si Rex eam Sturmio dedisset, solus Lullus, sed etiam Megingaudus Episcopus Wirceburgensis nominandus, et ab hujus quoque dominio Episcopali Sturmio absolvendus fuisset. Hujus enim Dioecesis per potio-rem Abbatia Fulden- sis districtum protendebatur. Absolutio itaque a dominio Lulli Sturmium Episcopum aut quasi-Episcopum nequaquam fecit. Plura tunc Monasteria sub defensione regia erant, nec tamen Abbates eorum ideo ab auctoritate Episcopali se absolutos esse credebant. Vana hinc sunt omnia, quae hactenus pro fundamento Dioecesis suae Fulden- sis magno fervore et zelo nimio supposuit Cl. Schannatus.

Si Mona-  
sterium li-  
berum,  
bona ejus  
alibi sita  
hinc non  
libera  
erant.

**XIII.** Addit tamen, locum Fuldensem *pristinam pacem et liber-  
tatem sub Sturmio restituto reassectum ex continuis fidelium donis et obla-  
tionibus nova incrementa coepisse, ac in tantum etiam invaluisse, ut vete-  
res territorii sui fines longius per circuitum in Thuringiam, Hassiam, Wet-  
teraviam, quin et ultra Rheni Mœnique ripas protenderit, ubique primævi  
juris sui, ut et Privilegiorum tam a Romanis Pontificibus quam et Regibus  
emanatorum ratione habita.* Moguntina ergo et Wirceburgensis Dioece-  
ses fere absorptæ fuerunt ab imaginaria illa Dioecesi Fulden- si, quod, an se-  
cundum Canones et Constitutiones Ecclesiae Francicæ fieri potuisset, val-  
de dubito. Privilegia enim Pontificum Regisque Pippini, quæ pro stabi-  
lienda sua Dioecesi protulit, non esse genuina, satis demonstratum est. In-  
ter probationes num. IV. Cl. Schannatus Privilegium immunitatis Caroli  
M. Monasterio Fulden- si concessum profert, cujus tamen in Dioecesi sua pe-  
culiarem mentionem non facit. Lubet nihilominus paulisper in genuini-  
tatem ejus inquirere. Incipit: *Carolus gratia Dei Rex Francorum, vir  
illuster.* Sed eo tempore, quo illud datum est, Carolus jam Rex Lango-  
bardorum erat, et in indubitata fidei diplomatibus dicitur *Carolus Dei  
gratia Rex Francorum et Langobardorum, vir inluster.* Diploma Schan-  
natianum *Frado ad vicem Lutherii recognovit.* Sed legendum omnino est:  
*Rado ad vicem Hitherii recognovit;* ut vel Diploma Caroli M. Fulrado S.  
Dionysii Abbati pro Cella S. Hippolyti eodem hoc anno die XVIII. Kal.  
Octobris *Duræ* concessum in Mabillonii Annalibus Benedictinis, et tot alia  
ejus Præcepta demonstrant. Quomodo vero in authentico Diplomate,  
quale hoc esse Schannatus affirmat, Notarius nomen suum et Cancellarii  
sui non recte expresserit, non video. Unde diploma hoc vel ex hoc capi-  
te non authenticum Caroli, sed ab oscitante librario vitiatum apographum  
esse merito statuo, et miror virum doctum et rei diplomaticæ peritum hac  
in re falli potuisse.

Caroli M.  
Privile-  
gium im-  
munitatis  
Fulden-  
sis  
corrup-  
tum,

Decimæ  
non infe-  
runt dig-  
nitatem  
Episcopa-  
lem.

**XIV.** Pro Dioecesi sua non perfunctorie stabilienda sequens argu-  
mentum proponit: *Quia juxta sacros Canones decimæ Episcopis tribuen-  
dæ erant, Abbates Fulden- ses eas, quas eodem fere titulo sibi debitas aut  
sponte oblatas dudum appropriaverant, ab Ecclesia sua retrahi aut avelli,  
nisi fortassis per violentiam, nunquam passi sunt.* Sed recordari debuisset,  
Parochum quemlibet ex concessione Episcopi decimas quidem habere,  
non tamen *titulo Episcopali* has ipsi debitas esse. *S. Burchardum*, SS. Boni-  
facii et Sturmii amicum, ex singulari benevolentia decimas aliquas Fulden-  
si Monasterio in sua Dioecesi concessisse, ex Chartula S. Bonifacii de Fini-  
bus Fulden- sis Monasterii concludas; unde et illi, ut jam supra monui, *Si-  
gnum suum;* una cum *Megingaudo Presbytero Wirceburgensi* subnotavit.  
Jura

Decimas  
Fulden-  
ses  
ex benefi-  
centia S.  
Burchardi  
accepe-  
runt.